Scot. [illegible]
Quodlib
Tom. V.

BX1749
.P4
D8
1754-55
v.5
c.1

132616

1080046598

BX 1749
.P4
D8
1754-55
V.5

VEN. P. ET DOCT.

JOAN. DUNS SCOTI,

ORDINIS MINORUM

Theologi eminentiſſimi,

Atque Academiæ Subtilium Anteſignani,

Quæſtiones Quatuor Voluminum ſcripti Oxonienſis ſuper Sententias, & Quodlibeta.

A.R.A.P. FR. ANTONIO BARROS

Obſervantis Provinciæ S. Jacobi Alumno, Lect. Jub. Archiepiſcop. Compoſtellani Examinatore Synodali, dictæ Provinciæ Ex-Miniſtro Provinciali, ac P. Digniore, & in Romana Curia Procuratore Generali Ordinis accurate recognitæ, & juxta emendatiorem, & exactiorem ex iis, quæ hucuſque prodierunt, hujus Operis editionem quinque voluminibus pro majori ſtudentium commodo publicæ luci, & utilitati datæ.

TOMUS V.

Cum compendio Quodlibetorum, & Syllabo rerum memorabilium.

ROMÆ M. DCC. LV.

Typis Angeli Rotilii.

SUPERIORUM PERMISSU.

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
MICROFILMADO
46258

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

132616

JOANNIS DUNS SCOTI,

DOCTORIS SUBTILIS ORDINIS MINORUM, THEOLOGORUM OMNIUM PRINCIPIS.

Quæſtiones Quodlibetales ex Quatuor Voluminibus Sententiarum.

CUNCTÆ *res difficiles*, ait Salomon, *Eccleſ.* 1. & cur intelligat eas eſſe difficiles ſubdit: *Non poteſt eas homo explicare ſermone.* Secundum igitur diſtinctionem rerum, poteſt accipi diſtinctio difficilium quæſtionum. *Res* autem prima ſui diviſione dividi poteſt in rem creatam, & increatam; ſive in rem a ſe, & in rem ab alio habentem *eſſe*; ſive in rem neceſſariam, & rem poſſibilem; ſive in rem finitam, & infinitam. Res autem increata, a ſe, infinita, & neceſſaria, Deus eſt. Res autem creata, ab alio, poſſibilis, & finita, communi nomine dicitur creatura. De utraque re propoſitæ ſunt aliquæ quæſtiones. Iterum, in divinis: *res* accipitur eſſentialiter, & notionaliter; juxta illud Auguſtini; 1. de Doct. Chriſtiana, c. 1. *Res, quibus fruendum eſt, ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, eademque Trinitas, Una quædam ſumma res, communis omnibus fruentibus ea.* In prima parte auctoritatis, accipitur *res* perſonaliter; in ſecunda, eſſentialiter. Fuerunt igitur aliqua quæſita in divinis de re eſſentiali; aliqua de notionali, ſive perſonali. Unicum autem quæſitum erat de ordine eſſentialium ad notionalia. Illud Unicum primo ponitur, utpote ex cujus ſolutione patebit ordo procedendi circa alia quæſita; eſt igitur

QUÆSTIO I.

Utrum in divinis, eſſentialia ſint immediatiora eſſentiæ Divinæ, vel notionalia?

QUod notionalia, probatur. Quæ conſtituunt ſuppoſita alicujus naturæ, ſunt immediatiora ipſi naturæ, quam illa, quæ ſunt proprietates naturæ; notionalia autem in divinis conſtituunt ſuppoſita naturæ divinæ, eſſentialia non, ſed ſunt quaſi proprietates illius naturæ: igi-